



# Disputatio juridica inauguralis de evictionibus

<https://hdl.handle.net/1874/341651>

96

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**EVICTIONIBUS.**

QVAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

JACOBUS VERVELST, ULTRAJECT.  
*A. D. 22. Augusti, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

*Nobiliſſimo ac Generoſiſmo VIRO,*

D. D. EVERARDO de WEEDE,  
Domino de Weede, Dijckveldt, Rateles &c. Ag-  
geris, qui superiorem Leccæ fluvii partem obsidet,  
Præfecto, Capituli S. Mariæ Decano, ejusque no-  
mine Dominorum Ordinum Provinciæ Trajectinæ  
Præsidi, in confessu Supremi Concilii Confœdera-  
tarum Provinciarum Belgii Deputato Ordinario,  
variis pro Reipub: salute Legationibus, summâ  
cum prudentiâ & industriâ feliciter gestis, perillu-  
stri, ut & nunc apud fidei defensorem, Magnæ  
Britanniaæ Regem, oratori extraordinario.

N E C N O N

*Ampliſſimo, Gravifſimo, Consultiſſimoque  
V I R O,*

D. D. JOANNI à SOMEREN,  
Decano Capituli S. Johannis, quondam Præpoten-  
tibus hujus Provinciæ Proceribus Adscripto, nunc  
Supremæ Curiaæ Trajectinæ Senatori Præsidi, co-  
gnato meo, omnigeno honore nunquam non co-  
lendo.

*Hanc Disputationem consecratam volo,  
debita cum animi reverentia,*

J A C O B U S V E R V E L S T.  
AUCT. & RESP.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

D E

EVICTONIBUS.

THEISIS I.



Um olim sua cuique fides & fidelitas validissimum esset testimonium, ac grave esset fallere datam fidem, nullis legum vinculis opus fuit, cum ea omnia, quæ aureo illo seculo, ab hominibus gerebantur, ita servarentur, ut ne per latum quidem unguem à promisso recederetur; verum enim vero, cum ætas parentum nos nequiores tulerit, necesse fuit, id, quod in hominum fide consistebat, in legis nexum deducere, atque ideo cum non raro eveniret ut promissis non staretur, vel cum in bonis promissoris non esset res promissa, vel etiam cum post traditionem factam facile res extorqueretur, aut cum in contractus lamine immineret evictio; hinc favorable illud evictionis medium introductum fuit, de qua in præsentia dicere est animus. Sed quoniam per vocabula ad rerum cognitionem non infeliciter contenditur, opera pretium erit paucis perstringere vocis etymologiam, & tum porro descendere ad ipsam definitionem. Evictio ab evincendo dicitur, evinco autem compositum est ex verbo *vinco*. & præpositione *E*, quæ verbi significationem auget, ut evincere hic non tantum sit vincere emptorem in judicio, sed & vincendo extorquere, vel ita vincere ut res controversa vel possessio ejus ei inde inferatur. Similem vim præpositionis Jurisconsulti observant, in l. 1. ff. *deposito*.

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

## I I.

Definitur evictio quod sit rei nostrae , quam adversarius legitimo titulo acquisiverat . per judicem facta recuperatio l. 24. ff. h. t. quam definitionem licet quidam impugnent , propterea quod non semper legitimo titulo in evictione sit opus , cum & ab illo possessore res evinci possit , penes quem nullus resideat titulus ; attamen haec vera sunt de evictione in genere considerata ; habito vero respectu ad materiam emptio- nis , venditionis , utique necessarium est , ut emptor ex causa emptionis , & sic ex justo titulo possideat . Evictionem pra- stare est satisfacere ei , cui rem v. g. ex causa emptionis venditio- nis tradidi , ob istam ablationem : seu luere aut sarcire damnum ob rem ita ablatam eveniens . Practici vocant Garanderen , no- strates Waeren . At satis de vocis etymologia ejusque defini- tione , transeamus ad evictionis præstandæ causas , quæ in quacunque re explicanda plurimum attendendæ veniunt .

## I I I.

Tenetur vero quis ad præstandam evictionem , vel ex con- tractus & negotii cuiusdam natura , indeque competenti actione convenitur ; v. g. in emptione , venditione , actione exemptior vel etiam stipulatione de evictione cavitur , quæ vel pendet ab arbitrio partium , stipulatio nimisrum simplæ , tripli , quadripli l. 56. pr. ff. b. t. item duplæ , in venditione rerum minus pretiosarum : vel ex dicto necessario præstanda venditori im- ponitur , scilicet dupla in venditione mancipiorum & rerum pretiosarum l. 37. n. 1. ff. h. t. l. 31. n. 20. de ed. edit. respectu necessariæ hujus duplæ stipulationis cæteræ venditiones rerum minus pretiosarum , simplariae dicebantur l. 48. in fin. de ed. edit. formulam duplæ stipulationis tales fuisse probabile est :

„ eum hominem , quem de te emi , & accepi , mihi per te , „ per hæredemque tuum , & per omnes habere recte licere , „ & si is homo de quo agitur , pars ve ejus à mē petita erit , „ vel si ego eum hominem , partemve ejus ab aliō petiero , „ tum de ea re agenda adesse , cum tibi , hæredique tuo de- „ nunciavero , & eam recte defendere , & si is homo parsve „ ejus per judicem mihi evicta erit , vel si ego eum hominem „ per

# INAUGURALIS.

„per judicem à possessore evincere non potuerim , tum du-  
„plam mihi recte præstari , hic spondesne ? ad quam interro-  
„gationem promittens respondebat : habere licere . Cujac. in  
lib. 8. C. b. t. Porro ex formula hujus stipulationis apparet eam  
committi , id est , obligationem evictionis contrahi , non tan-  
tum si alio agente in rem adversus emptorem judex emptorem  
condemnet , atque compellat rem restituere , vel estimatio-  
nem , sed & si agente emptore in rem adversus possessorem  
judex possessorem absolvat l. 16. π. 1. ff. b. t. l. 75. ff de procur.  
sed quæritur hoc loco , quomodo evictionis nomine sit ca-  
vendum , an per fidejussores , an nude re promittendo ? Reo.  
sufficere nudam re promissionem per l. 4 l. 56. ff. b. t. à qua  
regula tamen tres possunt statui exceptions , quibus requiri-  
tur satisfatio 1. Nimirum est , quando pretio non soluto li-  
te judicialiter & serio mota imminet evictio l. 24. C. b. t. po-  
test enim pretium tamdiu retineri , usque dum satisdetur l.  
pen. ff. de per. & comm. rei vend. 2. Si creditor aliud , quam  
debitur , in solutum recipere cogitur N. 4. c. 3. autb. hoc ni-  
si debitor. C. de solut 3. Si de ea specialiter actum sit l. 4. l. 37.  
ff. b. t. sed series nostri instituti , seu dispositionis nunc eo nos  
deduxit , ut perscrutemur negotia seu causas , in quibus evi-  
ctio habet locum , ut postea eo facilius intelligamus , in qui-  
bus non habet locum , secundum illud Philosophorum axio-  
ma : opposita juxta se posita magis elucescunt .

## I V.

Habet igitur locum evictio 1. & præcipue in emptione  
venditione , non tantum si expresse de ea cautum , sed etiam  
si nihil super ea dictum , actum aut promissum sit l. 6. C. &  
l. 60. ff. b. t. ratio est , tum quod vendor vacuam possesso-  
nem tradere adstringatur l. 2. π. 1. ff. de act. empt. adeoque in-  
demnum servare debeat emptorem ; tum quod evictio ex na-  
tura contractus emptioni venditioni insit d. l. 60. ff. n. t. &  
non tantum in venditione rerum singularium locum habet ,  
sed & universitatis , ut hæreditatis , si nempe tota hæreditas  
alteri tanquam hæredi fuerit adjudicata , non etiam si ex ea  
res aliquæ à dominis earum ablatae l. 1. C. b. t. quia ipsum jus

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

successionis, ipsaque universitas, augmenti & diminutionis capax, in venditionem venit, non res singulæ, quas proinde si habere velit emptor, à possessoribus sumptu ac periculo suo persequi debet *d. l. i. C. b. t.* nisi intercesserit pactum, ut vendor rerum singularum evictionem præstaret, servanda enim præstandaque est conventio; cuius species est, si vendor de substantia hæreditatis affirmaverit, sive dixerit has & illas res esse hæreditarias: quare si hæ res postea evincantur, evictionem præstabat, quia ita affirmavit ut præstaret, quippe propterea pluris vendidit *l. 15. ff. de hæred. vel act. vend.*

V.

2. In permutatione *l. i. π. i. ff. & l. i. C. de rer. permūt.* quia permutatio vicina est emptioni venditioni *l. 2. ff. eod. & etiam habet locum in cæteris contractibus non nominatis, quibus res in alium transfertur l. i. C. de rer. permūt. l. 29. C. b. t.*
3. In hæreditatis divisione *l. 66. π. ult. ff. b. t.*
4. In rerum singularum divisione, seu in judicio communi dividendo *l. 7. C. comm. utr. jud.*
5. In datione in solutum *l. 4. C. b. t.*
6. In transactione, ratione rei in pensionem ejus, quam retinet, datæ, non si illa res evicta fuerit, de qua transactum est *l. 33. C. de transact.*
7. In locatione conductione *l. 9. l. 33. ff. loc. cond.*
8. In emphyteusi, propter maximam familiaritatem, quam hic contractus, cum contractibus emptoris venditionis & locationis conductionis habere videtur *arg. π. 3. inst. loc. cond.*
9. In feudo 2. *fend.* 8. *i. 25. & dominus aliud feendum ejusdem qualitatis dare tenetur 2. *fend.* 80. nec hoc mirum, cum & vasallus sustineat onus servitorum feudalium; at si quis sciens investituram alterius beneficij acquisierit, eo evicto, nullam adversus dominum vasallum actionem habere dicimus, quoniam in acquirendo malam fidem habuit *Cujac. lib. 4. i. 80. defend.**

V I.

Cessat evictio 1. in donatione simplici *l. 18. π. ult. ff. de donat. l. 2. C. b. t.* exceptis duobus casibus, nempe si se stipulatione, non pacto, de evictione obligaverit *l. 2. C. b. t.* &, si sciens rem alienam ignorantis donaverit, datur enim de-

# I N A U G U R A L I S.

decepto actio de dolo, ratione sumptuum, quos in rem fecit, l. 18. π. ult. ff. de donat. ac, si donator ipsi velit cedere actiones suas, datur ei actio de evictione contra auctorem donatoris arg. l. 59. ff. b. t. ad quod tamen cogi nequit donator. 2. In dote inestimata data, secus est si dolo malo res aliena, vel res aestimata in dotem data fuerit, quia aestimatio venditioni similis est, l. 1. C. de jur. dot. vel etiam si dos profecta sit ab eo, qui dotare tenetur, & sic ex titulo quasi oneroso l. 19. ff. de rit. nupt. junct. l. 19. ff. de obl. & act. l. 1. C. de jur. dot. 3. Cessat in legato rei certæ vel speciei, cuius dominum se credidit testator l. 40. ff. b. t. l. 45. π. 1. ff. de leg. 1. cedenda tamen est legatario actio, si quam evictionis nomine defunctus contra auctorem habuit l. 59. ff. b. t. Confer l. 12. π. 1. ad Sctum Trebell. at si res in genere legata sit, & haeres speciem certam præstet, ratione ejus tenetur l. 58. ff. b. t. l. 45. π. 1. de leg. 1. l. 29. π. pen. de leg. 3. quia non videtur res periisse quam testator reliquit, cum genus non pereat. 4. In pignore à creditore distracto, quia pignus vendidit suo jure l. 59. π. 4. ff. mand. l. 50. ff. b. t. & tot. tit. C. cred. evict. pign. non deb. porro creditor non solum evictionem pignoris, quam non promiserit, præstare non tenetur, sed nec promittere si ab eo petatur: ad id enim duntaxat obligatus est, ut jus nominis cedat justo possessori debitum offerenti. l. 19. ff. qui pot. in pign.

## V I I.

Ut autem hæ stipulationes committantur, & ob evictionem emptor adversus venditorem agere possit, sequentia requiruntur. 1. Requiritur, ut antequam res evincatur, quis auctori (etiam pupillo tutore non apparente l. 56. π. ult. ff. b. t. etiam heredibus auctoris l. 8. C. & l. 51. π. ff. b. t. &c, si plures haeredes ejusdem auctoris existant, omnibus denunciatio est facienda, & omnes defendere emptorem debent, l. 62 π. 1. ff. b. t.) denunciet sibi dictatum esse judicium, & ut adsistat in judicio ad defendantum eum l. 8. C. & l. 29. π. ult. b. t. non igitur simplex sufficit denunciatio, sed simul, ut vendor de ea re agenda adesse & defendere debeat emptorem

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

rem d.l. 29. π. ult. & l. 23. C.b.t. quem in finem ipse de lite ;  
misso exemplo libelli, instruendus.

### V I I I.

Observandum hic est, denunciationem requiri. 1. Licet auctor in judicio præsens sit. l. 55. π. 1. ff. b. t. 2. Licet sciat litem esse motam l. 7. l. 8. l. 20. C.b.t. ubi, si negotium non fuerit denunciatum venditori, habet ille quo se defendat adversus emptorem, & aperte probat textus in l. 8. C.b.t. dum indistincte asserit, quod, nisi emptor fundi auctori aut hæredi ejus denunciaverit litem motam, evicto prædio, neque ex stipulatu, neque ex dupla, neque ex empto, actionem habet contra venditorem. Non obstante regula, quod certus non sit certiorandus l. 1. in fin. ff. de act. empr. quia procedit in casu, quo denunciatio fit eum in finem, ut habeatur scientia seu notitia rei; at in proposito non tantum fit, ut sciat venditor litem motam, sed ut emptori in judicio adsistat, & causam instruat, l. 21. C.b.t. pacto tamen hæc denunciandi necessitas potest remitti l. 63. pr. ff. b. t. sed quæritur quando denunciatio facienda sit? Respondeo fieri posse tam ante, quam post litem contestatam, modo non fiat post factam condemnationem l. 29. π. 2. ff. b. t. nec multum nobis facessit negotii, l. 29. π. 3. de leg. 30 quia distinguendum putamus, inter causam sive titulum venditionis & causam legati; hujus est strictior natura, adeoque si non statim ante acceptum judicium legatarius hæredi litem denunciet, videatur is contentus esse re ipsa, quam ob legatum generis accepit.

### I X.

Effectus denunciationis venditori legitime factæ est, quod venditor tenetur venire, & emptorem defendere adsistendo, non totam litem in se transferendo, in foro emptoris l. 49. pr. ff. de jud. sed cum, venditor dicat se habere privilegium fori, quia forte clericus, cogeretur ne sequi forum emptoris laici? Respondemus cum Paulo in d. l. 49. Venditorem emptoris judicem sequi solere, nec se juvare privilegio sui judicis.

X. 2. Ut

## X.

2. Ut res ipso actu & revera evicta sit, sive ut vel posses-  
sio ab eo ablata, vel si ab alio rem possessam vindicet, & is  
absolutus sit, vel ipse emptor aestimationem ejus solvere co-  
actus sit, l. 16. π. 1. l. 21. l. 34. π. 1. ff. b. t. si vero lis sim-  
pliciter fuerit mota, tunc tantum venditorem potest conve-  
nire ad rem defendendam non vero ad pretium restituendum  
l. 74. π. 2. ff. b. t. cui neque contraria esse videtur l. 12.  
C. b. t. quia loquitur de eo casu quo pretium ante evictio-  
nem ob conventionem restituebatur. Quemadmodum ex ad-  
verso aliquando nequidem rem evictam fuisse sufficit ad ple-  
num effectum actionis & commissæ stipulationis, nisi simul  
spes habendi sit absissa; unde si à creditore Serviana actione  
servus evictus sit, & postea vendor pecuniam solverit.  
Pignusque luerit, exceptione doli mali removebit emptorem  
ex stipulatione duplæ agentem. l. 35. ff. b. t.

## X I.

3. Ut sit evicta ex tali causa, quæ post contractum non  
accidit, sed quæ præcessit possessionem ejus, à quo res evi-  
cta est, l. 51. ff. b. t. l. 1. C. de per & comm. rei vend. 4. Ut  
emptor fuerit in bona fide; si enim in mala fide sit, & scientiam  
reialienæ vel litigiosæ habuerit ante venditionem, sibi  
imputare debet damnum, quod per evictionem exinde pati-  
tur, l. 27. C. b. t. 5. Ut res evincatur citra factum & cul-  
pam emptoris l. 29. π. 1. l. 56. π. 3. ff. & l. 8. C. b. t. 6. Re-  
quiritur, ut res evicta sit in judicio, ac judicis sententia,  
l. 24. & l. 34. π. 1. ff. b. t. & quidem judicis ordinarii non  
compromissarii, l. 56. π. 1. ff. b. t. porro non sufficit sola  
sententiæ pronunciatio, sed etiam requiritur, ut sententia à ju-  
dice lata executioni sit mandata, l. 57. pr. & π. 1. & l. 16. π. 1.  
ff. b. t. nec interest quo genere judicii res avocetur, ut eam  
habere non licet, sive rei vindicatione, vel actione commu-  
ni dividundo, vel Serviana, l. 34. π. 1. & 2. ff. b. t. vel in-  
terdicto l. 35. ff. de act. empt. vel actione noxali, l. 11. π. 12.  
ff. eod. vel restitutione in integrum l. 39. pr. ff. b. t. nec utrum

B

res

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

res in totum, an pro parte evincatur; nam etiam de parte rei datur evictio *l. 1. l. 39. n. 2. l. 45. ff. b. t.* nec dictis legibus obstare videntur *l. 56. n. 2. l. 36. ff. b. t.* quia cum *pac. cent. 4. q. 3. & Wef. b. t. n. 9.* distinguendum putamus inter partes heterogeneas, id est, diversi nominis ac naturæ, de quibus posteriores leges loquuntur, & partes homogeneas, id est, ejusdem nominis ac naturæ, de quibus priores leges intellegendæ sunt.

### X I I.

A requisitis transeamus ad actiones, quibus mediantibus ad evictionis præstationem devenitur. Duæ præcipue sunt actiones una ex empto, *l. 60. l. 70. ff. b. t.* sine nempe res evicta ex causa empti possessa fuerit: si enim per mutata actio *præsc. verb. l. 1. n. 1. ff. de rer. permis. l. 7. & 2. ff. de pax.* si locata actio locati conducti *l. 9. pr. ff. loc. cond.* si in solutum data, utilis exempto actio datur *l. 4. C. b. t.* petitur hac actione pretium v. g. ab emptore exsolutum; ac præterea quanti interest rem evictam non esse *l. 25. C. & l. 60. ff. b. t.* item impensæ, quas pro lite sustinenda erogavit, *l. 9. C. b. t.* quin etiam sumptus, quos emptor in rem meliorandam fecit; verum in hisce sumptibus recuperandis servanda erit distinctio, aut enim potuit emptor hos sumptus in rem emptam factos ab evincente recipere, *l. 16. C. b. t.* quia ipse rem possebat, ita ut evincentem deductis impensis sumptus restituere nolentem exceptione dolii mali submovere posset: aut eos ab evincente consequi non potuit, quia rem non possidebat; priori casu sibi debet imputare, si, dolii mali exceptione omissa, non sit sumptus ab evincente consecutus, nec debet ejus culpa obesse venditori, & nullum adversus auctorem habet regressum, nisi hic sciens rem alienam eam ignorantis vendiderit, tunc enim ob dolum tenetur, *l. 45. n. 1. ff. de act. empt.* Posteriori casu sumptus à venditore repetere potest, *l. 9. C. b. t.* nec non usuræ pretii hac actione peti possunt, *l. 18. pr. ff. de usur.*

## INAUGURALIS. II

## XIII.

Altera ex stipulatu, & quidem vel simple, vel duplae actio simple datur ad id quod in stipulationem deductum est, sive ad simulum rei pretium, non vero ad id, quod interest, l. 99. de verb. oblig. actio duplae ad duplicatum pretium (non quidem bonitatis rei, sed pretii conventi l. 53. pr. ff. b. t.) consequendum competit: & haec actio ex stipulatu etiam potest competere ad triplum vel quadruplum pretii, prout inter partes super hoc conventio intervenerit, l. 56. pr. ff. b. t. in quibus fiscus hanc habet prerogativam, ut, licet duplum, vel triplum, vel quadruplum promiserit, teneatur tamen de solo simple l. 5. pr. ff. de jur. fisc.

## XIV.

Competunt dictae actiones iis, quibus debetur evictionis praestatio, nimurum emptori, aliquie similem titulum habenti, & ejus heredi, sive successori universalis, non particulari, qualis est secundus emptor, nisi cessa ei actione contra primum auctorem. l. 59. ff. b. t.

## XV.

Dantur adversus venditores, aliosque iis similes ac eorum heredes, l. 9. l. 21. C. b. t. quid si facto proprio vendor se obligaverit (de facto proprio vendor se obligare dicitur, qui tali modo cautionem praestitit: neque per me, neque per heredem meam, vel venientes a me personas futurum, quo minus tibi babere liceat) & facto antecessoris res evicta fuerit? Respondeo eum non quidem teneri de evictione, sed ad pretium restituendum l. 11. n. ult. ff. de act. empt. queritur etiam, si plures vendiderint, an cum singulis in solidum possit agere emptor! Affirm. per l. 62. n. 1. ff. b. t. l. 139. de verb. obl. si tamen ab uno solutionem acceperit ceteri librantur exceptione l. 51. n. ult. ff. b. t. quid vero si unus ex duobus heredibus rem pro sua parte liberaverit, eaque res evicta sit ideo, quod alter pro sua parte pignori obligatam non liberasset, an qui liberavit adhuc conveniri poterit! Affirm. in l. 65. ff. b. t. idque ob indivisam pignoris natu-

ram, & quæ divelli non potest. Quin etiam adversus fidejussores *l. 40. ff. b. t.* etiamsi causam agi ignoraverint *l. 7. C. eod.* nec non eorum hæredes *l. 18. C. b. t.* fidejussor autem non solum obstrictus est, si alius evincat, sed ipse vindicationem instituens doli mali exceptione repellitur, quia venditioni adeo consensum dedit, ut se ipsum etiam pro evictione obligaverit. *l. 11. C. b. t.*

## X V I.

Explicatis actionibus restat, ut paucis discutiamus modos, quibus cessant prædictæ actiones. Cessant actiones de evictione his casibus: 1. Si emptor venditori ante conclusionem in causa non denunciaverit litem sibi esse motam, *l. 8. C. b. t.* nam peccat emptor auctori non denunciando, cui iusta poterat esse defensionis causa, ut pote scienti melius rei à se venditæ jus & conditionem, excipe nisi venditor absens sit, vel is præsens in causa sit, quominus ei denunciatio fiat, *l. 56. π. 5. ff. b. t.* vel emptor certior fieri non potuerit, ubi venditor commoraretur, *l. 55. π. ult. ff. eod.* addunt quidam & hanc exceptionem, nempe si venditoris causa manifeste fuerit injusta, quo casu non tam culpa erit emptoris, cui res evicta quam venditoris, cuius causam non salvam fecisset denunciatio emptoris, quia ea non obstante res certo erat evincenda; quorum sententiam tamen non amplector, cum semper tantum sub conditione denunciationis hæ stipulationes commitmentantur, & emptor ob evictionem adversus venditorem agere possit, *l. 8. & 21. C. & l. 29. π. ult. ff. b. t.* ac auctor semper allegaret non esse manifestum, neque hic fides emptori est habenda, cuius non est de justitia causæ judicium ferre, & qui utique scire non potuit media, quibus rem suam in judicio venditor defendere possit.

## X V I I.

2. Si res injuriâ, imperitiâ, vel stultitiâ judicis alteri sit adjudicata & emptori ablata *l. 8. infin. C. & l. 51. ff. b. t.* injuria enim, quæ fit emptori, auctorem non debet contingere *d. l. 51.* Quid si emptor præsente auctore condemnatus non

pro-

I N A U G U R A L I S. 13

provocaverit ab injustâ sententiâ, non sibi, sed venditori nocebit, cui controversiam de ea re esse motam fuerat denunciatum l. 63. ff. b. t. quia venditoris causa præcipue agitur, qui à judice factæ sententiæ pronunciationi acquiescendo, se rem alienam vendidisse fatetur: aliud dicendum, si venditore absente lata fuerit sententia, tunc enim omissa appellatio emptori oberit, ita ut contra auctorem non habeat regressum, quod sua culpa causam deseruisse videatur.

X V I I I.

Cessant 3. si ejus, cui res evicta est, factum vel dolus, lata vel levis culpa intervenierit l. 53. π. 1. l. 55. pr. ff. & l. 8. C. h. t. forte si is transegerit l. 17. C. eod. si potuerit usucapere nec usuceperit l. 29. π. 1. ff. b. t. si rem pro derelicto habuerit l. ult. ff. eod. si compromiserit, & contra illum lata fuerit sententia l. 56. ff. b. t. quia nulla necessitate cogente fecit: si locum religiosum fieri permiserit l. 51. π. 1. ff. eod. vel cum vendor suaserit emptori, ut ageret non directa rei vindicatione, sed publicana, ac emptor nihilominus directa egerit l. 66. pr. ff. b. t.

X I X.

4. Si res nondum evicta casu pericerit l. 21. pr. ff. b. t. quia res evicta dici nequit, quæ periit, nec tamen hæc actio locum habet, nisi post rem evictam l. 3. C. eod. atque ita, cum nemo rem evicerit, sed fato humanæ sortis id tribuatur, vendor emptori non tenetur, nec hoc iniquum videri debet, quod emptor rem amittat ac vendor pretium retineat, quandoquidem post venditionem contractam ut commoda, ita & incommoda supervenientia emptorem sequuntur l. 8. ff. de per. & comm. rei vend.

X X.

5. Si quis rem vendiderit in al ea, ut luderet, & postea ea res evincatur exceptione submovebitur emptor l. 2. π. 1. ff. quar. rer. att. non dat.

X X I.

6. Si emptor sciverit se rem alienam, vel oppignoratam

14 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

emere l. 18. C. b. t. nec ulla expressa de evictione præstanta intercesserit conventio l. 27. C. eod. debet enim emptor sibi imputare, quod rem, quam sciebat esse alienam, evinci posse non adverterit. Sed queritur, an emptor sciens rem, quam emit, esse alienam, evicta re possit consequi pretium à venditore? Neg. per. l. 27. C. b. t. l. 7. C. comm. ultr. jud. non obstante l. ult. π. fin. C. comm. deleg. & fidecomm. quia ibi est specialis casus, ut patet ex π. præcedenti, quo quis emerat rem sub conditione vel incerto die fidecommisso gravatam, hanc licet quis sciens emerit, tamen potest pretium repeteret, si conditio vel dies extiterit, & res sit restituenda, quia scilicet in eum casum bona fide & licite emisse videtur si non existeret.

X X I I.

7. Cessant de evictione actiones, si venditor stipulatus sit, ne de evictione teneatur l. 21. C. b. t. dummodo dolus absit. Est autem dolus si sciens rem alienam, vel oppignoratam ignorantiam eam emptori vendiderit. Cæterum, non obstante illa conventione, non dubitatur, quin auctor re evicta possit conveniri ad pretium restituendum, licet non teneatur in id quod emptoris interest rem evictam non esse l. 11. π. ult. ff. de act. empt. quia non conveniens est bonæ fidei contraria, ut res emptori auferatur, & pretium maneat penes venditorem. Sed ne hæc nostra disputatio propositos excederet fines manum de tabula tollo.

C O.



# COROLLARIA.

I.

*Tutoris datio non est jurisdictionis ordinaria, sed legitima.*

II.

*In omni conjunctione habet locum jus accrescendi.*

III.


*Fidejussor in majorem summam, quam reus principalis debet, acceptus omnino non tenetur.*

IV. *Actio*

I V.

*Actio de tigno juncto semper est omni  
casu est in duplum.*

F I N I S.



*manū , emētū , atropēm cī vōllūbī  
- mōnū mōccū , vōlē vōlōqānērū cīm  
- mīnūt cīm cīm*

VI